



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XLI. Idem in a eodem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

## C A P V T X L I .

Idem in <sup>a</sup> codem.

**A**D Ap. n. aud. frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro <sup>b</sup> exc-  
gunt, & extorquent; & si forte corum cupiditatē nō fuerit satisfactū, impedimenta  
fictitia fraudulenter opponunt: è contra verò, quod laici laudabilem consuetudi-  
nem erga sanctā Ecclesiam piā devotione fidelium introductam ex fermento hære-  
ticæ pravitatis nituntur infringere sub prætextu canonicae pietatis. Quapropter has  
pravas exactiōes fieri prohibemus, & pias <sup>c</sup> consuetudines præcipimus obser-  
vari, statuentes, ut liberè conferantur ecclesiasticae sacramenta: sed per Epis-  
copum loci, veritate cognitā, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem  
consuetudinem immutare.

## N O T A E .

1. <sup>a</sup> **E**odem.) Lateranensi videlicet, celebrato  
sub Innocentio III. ubi cap. 67. reperiuntur  
verba in praesenti relata, & in quarta collec-  
tione, sub hoc titul. cap. 6.

<sup>b</sup> Exequiis mortuorum.) De quibus egi in cap.  
suam, hoc titul. ubi commentarium hujus partis  
dedi.

<sup>c</sup> Benedictionibus.) De quibus plura adduxi in  
cap. 1. de secund. nupt.

<sup>d</sup> Piis consuetudinibus.) Hac verba exposui su-  
prā in cap. cūm in Ecclesia.

2. <sup>e</sup> **S**acramenta.) Si referas ad exequias mor-  
tuorum, & benedictiones nuptiarum, de quibus  
proximè egerant Patres, dictio *sacramenta*, po-

nitur pro sacramentalibus, ut jam notavi in d. cap.  
cūm in Ecclesia. Si verò accipias pro aliis Sacra-  
mentis, verum est pro nullo ex eis pecuniam exi-  
gi posse, ut de Baptismo cavitur in can. 48. Con-  
cilii illiber. ibi: Emendari placuit, ut qui baptizan-  
tur, nummos in chorcā non mittant, ubi notavi, de  
confirmat, probavi in cap. ea 15. hoc titul. de Pœ-  
nitentia in cap. nemo, hoc titul. de Eucharistia in  
can. 23, 6. Synodi, relato in cap. nullius 1. q. 1. ibi: Ut  
nullus, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus,  
immaculatam præbens communionem, ab eo, qui  
communicat, ejus participationis gratiā obulos, vel  
quamvis aliam speciem exigat. De Ordine in cap. 1.  
hoc titul. de Matrimonio in cap. suam, hoc titul. &  
lately docent Uginus, Redoanus, & Gibalinus  
in tract. de simon.

## C A P V T X L I I .

Vniversis Abbatibus, & Fratrib. <sup>a</sup> Cisterciens. Ordinis.

**N**EC Dei Ecclesiam, quam lavit proprio sanguine Iesus Christus, macula fœdi-  
tis coinquinet, ruga duplicitatis deformet, cupiditatis spurcitia, omnium ma-  
lorum radix, & venalitatis deformitas, quasi ruga sub consuetudinis prætextu con-  
tracta, eliminanda sunt penitus ab eadem, ut dispensatio misteriorum Dei, & ip-  
sa mysteria gratis accepta, Gieziticā pravitate prorsus abolitā, charitate gratuitā  
conferantur, quæ vendere, seu emere, quām detestabile, quamve periculosum ex-  
istat, liquidò perpendi potest ex eo, quod Dominus vendentes, & ementes oves, &  
boves ejecit de templo, & cathedras vendentium columbas evertit. In ejectione  
deniq; vendentium, & ementium facinoris inquinantis utrumque exprimitur dete-  
statio, & in cathedralium eversione monstratur, cui pœna subjaceant hi, qui præ-  
sunt, vendentes Dei dona, & Ecclesiæ sacramenta. Ut igitur hujusmodi facinus,  
quod quos coinquinar, & aquat, Prælatos, & subditos non possit inficere quoquo mo-  
do, auctoritate Apostolicā districtiūs inhibemus, ne quis Archiepiscopus,  
vel Episcopus, Archidiaconi, vel <sup>b</sup> Officiales ipsorum à quoquam in  
Abbatem electo, pro <sup>c</sup> benedictione, seu <sup>d</sup> installatione, vel recipienda  
professione ab eo, sub consuetudinis prætextu cuiusquam <sup>e</sup> palefridum, seu aliud  
quidquam, quocunque nomine censeatur, exigere, vel extorquere præsumant, vo-  
bisque sub prætextu hujusmodi exacta taliter ne præstetis interdicimus, cùm non  
solum à malo, sed à mali sit specie abstinentum. Installationis quoque solen-  
nitates fieri prohibentes adjicimus, ut Archiepiscopi, & Episcopi ea sint <sup>f</sup> for-  
ma professionis contenti, quæ ab origine vestri Ordinis nascitur instituta,  
cujus tenorem ad majorem evidentiam huic nostræ paginæ du-  
ximus inferendum: Ego frater Abbas Cisterciensis Ordinis, subjectionem,  
reverentiam, & obedientiam à sanctis Patribus constitutam secundum regulam

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

L

sancti